



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1230. Usque Ad Annum 1248

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1764**

**VD18 90118049**

§. 29. Manichæi combusti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66268](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66268)

nes Britanniae Dux ob preces Episcoporum ac Procerum Judæos ex omnibus terris sibi subiectis omnino expulit per edictum die Martis ante Pascha, nempe 10 Aprilis factum.

## §. XXIX.

*Manichæi combusti.*

Hoc anno 1239. 13 Maji die Veneris *Alberic.*  
ante Pentecosten animadversio in-

Sæcul. XIII.  
A.C. 1239.

p. 569.

gnis in Bulgaros seu Manichæos facta est Monthemii in Campania Diœcesis Catalaunensis, præsentibus cum Navarræ Rege provinciæ Baronibus, Archiepiscopo Remensi, ac quindecim Episcopis, nempe Sueffionum, Tornaci, Cameraci, Atrebatii, Tarvannæ, Novioduni, Lauduni, Silvanecti, Bellovaci, Catalauni (harum duarum urbium Episcopi erant solum electi) Aureliani, Treucarum, Meldarum, Viroduni, & Lingonum; aderant etiam multi Abbates, Priores, Decani, aliique Ecclesiastici: populus, qui hoc ad spectaculum venerat, centies mille animas conficere videbatur. Centum octoginta tres hæretici sunt ignibus ibi consumpti, *acceptum Deo holocaustum*, ait monachus Albericus scriptor illius temporis. *Habebant, addit, inter se anum quandam magnæ existimationis Gislam nomine, Provi-*

*ap. Echard.*  
p. 560.*ni natam, quam vocabant Abbatissam: hujus suppli-*



**Sæcul. XIII.** *supplicium delatum fuit, quia se magnum in-*  
**A. C. 1239.** *super eorum numerum prodituram fratri*  
*Roberto promiserat. Frater Stephanus*  
*Borboniensis, aut Bellavillanus Ordinis*  
*S. Dominici se horum hæreticorum da-*  
*mnationi interfuisse dicit.*

*Alberic.*  
*p. 560.*

*Matth. Par.*  
*1238. p. 407.*

Frater Robertus, qui eandem urgebat, pariter Ordinis Prædicatorum erat, cognomento Bulgarus, quia Bulgaricam sectam secutus fuerat. Nam sub tempus magni concilii an. 1215 habiti a foemina Manichæa Mediolanum ductus, haustam ibi hanc hæresin per viginti annos ita foverat, ut inter Bulgaros perfectissimos numeraretur. Ab his ad fidem sanam & in Ordinem Prædicatorum transit; ubi doctrina fortique ac prompta facundia sua grande adeptus nomen, vehementer in hæreticos illos exarsit, quos ob diuturnam consuetudinem cum ipsis junctam vel ex sermone ac gestu sibi innotescere asserebat. Quam plurimos eorum in Flandria præcipue manifestos fecit, addixitque ignibus absque misericordia, præsidio Sancti Ludovici fultus, cui per virtutis larvam imponebat. Verum accepta Inquisitoris autoritate abusus, nec nisi formidabilem se reddere cogitans, omnem excessit modum, & innocentes cum scitibus confudit. Quare a Papa exautho-  
 ratus, tam multorum denique criminum  
 convi-



convictus est, ut ad perpetuum carcerem Sæcul. XIII.  
condemnaretur. A. C. 1239.

§. XXX.

*Censuræ in Provincia Remensi.*

**H**enicus Broniensis Archiepiscopus Marlot. to. 2  
Remensis interdixerat urbis Ecclesias, lib. 3. c. 32.  
& anathemate cives multaverat reos se- p. 526.  
ditionis commotæ in suum Prætorem ac Sup. Lib.  
hujus administratos, nimium rigidos exa- LXXX.  
ctores pecuniarum, ad quas Archiepisco- S. 52.  
po solvendas cives damnati fuerant. Pa- ap. Rain.  
pa Gregorius has censuras ratas habuit n. 76.  
per litteras 11 Junii an. 1239 datas, qui-  
bus præcipit, ut proventus civium, nisi  
ad officium redeant, ac pecuniæ iis de-  
bitæ in nundinis & ubique detinean-  
tur.

Thomas Bellomesius, Nobilis Artesiæ Marlot.  
vir, cujus jam facta est mentio, paren- p. 541.  
tes habuit Ægydium Bellomesii Dominum,  
Castellanum Bapalmæ Dynastam, & A-  
gnetem Cocciam; atque ita Archiepisco-  
pum Henricum cognatione contingebat.  
A prima juventute sua fuit Canonicus  
Atrebatensis, dein factus ab Archiepisco-  
po Canonicus ac Præpositus Remensis.  
Rege ac Episcopo Bellovacensi inter se  
diffidentibus, Thomas Remis pulsus, illuc  
nondum redierat, cum a tribus provin-  
ciæ Nobilibus, Nicolao Rumignio, Collar-  
*Hist. Eccles. Tom. XX.*      Z      do